



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

De Sancto Iusto Archiepiscopo Cantuariensi Commentarius Praevius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A *expectandum erat* (1). *Similis prorsus praesagiendi ratio adhibebatur et in sacro fonte S. Kebii in vico Llangybi, comitatus Carnarvon* (2).
 Festus dies. 3. *Festum S. Elaeth die 10 novembris plerique indicunt* (3); *unus autem codex die II, mero calami errore, ut videtur: idem enim et sanctum Cynfarwy uno die postposuit* (4). *Pauca tandem dicenda sunt de carminibus duobus quae sanc-*

to Elaeth ascribuntur (5). *Utrumque summa pietate de rebus religiosis scriptum est, sed inter pseud-epigrapha sine ullo dubio est amandandum. Una enim et consentiens vox est eruditorum virorum, nulla carmina cymrica qualia legimus saeculo IX esse antiquiora, plurima autem eorum quae in Libro Nigro leguntur, XI et XII saeculo esse condita* (6).

Carmina
pseud-epi-
grapha.

(1) OWEN JONES, *Cymru yn hanesyddol*, t. I, p. 92, i. v. Amlwch. — (2) BARING-GOULD and FISHER, t. II, p. 212-13. — (3) Calendarium anni 1481 adiectum opusculo Iohannis EDWARDS iunioris grammatici, ap. BARING-GOULD and FISHER, t. c., p. 425-26; calendarium in codice Musei Britannici add. 14882, exarato anno 1591, *ibid.*; calendarium in codice Peniarth 187, anno 1659 exarato, ap. J. G. EVANS, *Report*, t. c., pp. 1014, 1043-45; Browne WILLIS, *A Survey of... Bangor*, p. 282. — (4) Codex Peniarth 219, circiter annum 1615 exaratus, editus a J. G. EVANS, t. c., p. 1043-1045. — (5) Utrumque carmen legitur in antiquo codice dicto Libro Nigro de Carmarthen (saec. XII) cuius imaginem

expressit J. G. EVANS, *Facsimile of the Black Book of Carmarthen* (Oxford, 1888). Utrumque edidit W. F. SKENE, *The Four Ancient Books of Wales* (Edinburgh, 1868), t. I, p. 501-503, et t. II, p. 35-37; J. G. EVANS, *The Black Book of Carmarthen* (Pwllheli, 1906), p. 70-71. Primum tantum carmen e codice nescio quo iam editum erat in *Myyrrian Archaeology*, ed. 1, t. I (London, 1801), p. 161; ed. 2, p. 123. De arte metrica horum carminum, vid. J. RHYSS, *The Origin of the Welsh Englyn and kindred Metres* (= *Y Cymmrodor*, t. XVIII, 1905), pp. 125, 151. — (6) G. DOTTIN, *Les littératures celtiques* (Paris, 1924), p. 31.

B

E

DE SANCTO IUSTO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI

ANNO 627

H. D.

COMMENTARIUS PRAEVIUS

S. Iustus
ad Anglos
mittitur.

1. *Iis exceptis quae ad publicam eius venerationem referuntur, quaecumque de S. Iusto literis tradita sunt Bedae Historia ecclesiastica Anglorum suppeditat* (1). *Prima sancti viri mentio occurrit ubi narrat S. Gregorium Laurentio presbytero et Petro monacho, quos Augustinus Romam miserat, novos adiutores comites adiunxisse. Praeterea idem papa Gregorius Augustino episcopo, quia suggererat ei multam quidam esse messem, sed operarios paucos, misit cum praefatis legatariis suis plures cooperatores ac verbi ministros; in quibus primi et praecipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus* (2). *Quod anno 601 actum esse constat* (3). *Tribus autem elapsis annis, Iustus ab Augustino episcopus Rofensis (Rochester) constituitur. Anno dominicae incarnationis DCIII^{mo} Augustinus Britanniarum archiepiscopus ordinavit duos episcopos, Mellitum videlicet et Iustum; Mellitum quidem ad praedicandum provinciae Orientalium Saxonum... Iustum vero in ipsa Cantia Augustinus episcopum ordinavit in civitate Dorabrevi* (4), *quam gens Anglorum a primario quondam illius, qui dicebatur Hrof, Hrofaescæstrae cognominat* (5). *Distat autem a Doruveni* (6) *milibus passuum ferme XXIII ad occidentem, in qua rex Aedilberet ecclesiam beati An-*

dreae (7) *apostoli fecit, qui etiam episcopis utriusque huius ecclesiae dona multa, sicut et Doruvernensis obtulit; sed et territoria ac possessiones in usum eorum, qui erant cum episcopis, adiecit* (8). *Mortuo Augustino successit Laurentius* (605), *qui cum coepiscopis episcopos et abates Hiberniae monet de observanda unitate sanctae ecclesiae, maxime in paschae observatione. Dominis carissimis fratribus episcopis vel abbatibus per universam Scottiam Laurentius, Mellitus et Iustus episcopi, servi servorum Dei...* Misit idem Laurentius cum coepiscopis suis etiam Brettonum sacerdotibus litteras suo gradui condignas, quibus eos in unitate catholica confirmare satagit (9).

Constituitur
episcopus
Rofensis.

2. *Defunctis Aedilbercto rege Cantiorum et Sabercto rege Orientalium Saxonum, ad idolorum cultum eorum successores redierunt, moxque Mellitus cum suis iussus est abire* (10). *Qui expulsus inde venit Cantiam, tractaturus cum Laurentio et Iusto coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset, ut omnes patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deservirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus et Iustus, atque ad partes Galliae secessere, ibi rerum finem expectare*

In Galliam
secedit.

(1) Recentiorum qui de S. Iusto scripserunt praecipui sunt WHARTON, *Anglia sacra*, t. I, p. 92; Hook, *Lives of the Archbishops of Canterbury*, t. I (1861), p. 100-110, et, quo nemo melius, W. STUBBS in *Dictionary of Christian Biography*, t. III, p. 592-93. — (2) *Hist. eccl.*, I, 29. Bedae excerpta ex editione v. cl. C. PLUMMER dabimus. — (3) *Hist. eccl.*, V, 24. — (4) Lege

quae ad hunc locum notat PLUMMER, t. II, p. 79. — (5) In synodo Hertfordiensi anni 673 nuncupatur *Castellum Cantuariorum quod dicitur Hrofaescæstr*. BEDAE, *Hist. eccl.*, IV, 5. — (6) Cantuaria, Canterbury. — (7) S. Gregorii p. monasterium S. Andreae sacrum erat. — (8) *Hist. eccl.*, II, 3. — (9) *Hist. eccl.*, II, 4. — (10) Ante febr. an. 618. PLUMMER, t. II, p. 88.

disponentes

A disponentes. Sed non multo tempore reges, qui praecone a se veritatis expulerant, daemonicis cultibus impune serviebant. Nam egressi contra gentem Gevissorum in praelium, omnes pariter cum sua militia corruerunt; nec, licet auctoribus perditis, excitatum ad scelera vulgus potuit recorgi, atque ad simplicitatem fidei et caritatis, quae est in Christo, revocari (1). *Nec mora; a rege Aedbaldo quem Laurentius ad Christi fidem converterat, uterque episcopus ab exsilio revocatur.* Misit etiam Galliam, et revocavit Mellitum ac Iustum, eosque ad suas ecclesias libere instituendas redire praecipit; qui post annum, ex quo abierunt, reversi sunt; et Iustus quidem ad civitatem Hrofi, cui praefuerat rediit; Mellitum vero Lundonienses episcopum recipere noluerunt, idolatris magis pontificibus servire gaudentes (2). *Interim moritur Laurentius (2 febr. 619), post quem Mellitus, qui erat Lundoniae episcopus, sedem Doruvernensis ecclesiae tertius ab Augustino suscepit. Iustus autem adhuc superstes Hrofensem regebat ecclesiam.* Qui cum magna ecclesiam Anglorum cura ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria a pontifice Romanae et apostolicae sedis Bonifatio, qui post Deusedit ecclesiae praefuit, anno incarnationis dominicae DCXVIII (3). *Litteras pontificias deperditas esse dolemus. Quoniam vero exhortatorias illas nuncupat Beda, quemadmodum Gregorii litteras ad Augustinum, anno 596 scriptas, dixerat (4), eo solum consilio datas fuisse ut in arduo labore episcopos confortaret, prona est coniectura (5).*

Mellito Cantuariensi episcopo succedit.

Litterae Bonifatii papae V.

3. Anno Domini 624, die 24 aprilis, obiit Mellitus. Cui statim successit in pontificatum Iustus, qui erat Hrofensis ecclesiae episcopus. Illi autem ecclesiae Romanum pro se consecravit episcopum, data sibi ordinandi episcopos auctoritate a pontifice Bonifatio, quem successorem fuisse Deusedit supra meminimus, cuius auctoritatis ista est forma:

Dilectissimo fratri Iusto Bonifatius. Quam devote quamque etiam vigilanter pro Christi evangelio elaboraverit vestra fraternitas, non solum epistulae a vobis directae tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicavit. Nec enim omnipotens Deus aut sui nominis sacramentum, aut vestri fructum laboris deseruit, dum ipse praedicatoribus evangelii fideliter repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi. Quod specialiter iniuncto vobis ministerio, eius clementia demonstravit, aperiens corda gentium ad suscipiendum praedicationis vestrae singulare mysterium. Magno enim praemio fastigiorum vestrorum (6) delectabilem cursum bonitatis suae suffragiis inlustravit, dum creditorum vobis talentorum fidelissimae negotiationis officii ubere fructum impendens ei, quod signare possetis multiplicatis generationibus, praeparavit. Hoc-

que etiam illa vobis responsione conlatum est, qua iniuncto ministerio iugiter persistentes laudabili patientia redemptionem gentis illius expectastis (7), et vestris, ut proficerent, meritis eorum est salvatio propinata, dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Salvati ergo estis spe patientiae et tolerantiae virtute, ut infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata, sui consequerentur misericordiam Salvatoris. Susceptis namque apicibus Adulaldi regis (8), repperimus quanta sacri eloquii eruditione eius animum ad verae conversionis et indubitatae fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiae caelestis certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem, immo quoque vicinarum, vestrae praedicationis ministerio credimus subsequendam; quatinus, sicut scriptum est, consummati operis vobis merces a retributore omnium honorum domino tribuatur, et vere, per omnem terram exisse sonum eorum, et in fines orbis terrae verba ipsorum, universalis gentium confessio, suscepto christianae sacramento fidei, protestetur.

Pallium praeterea per latorem praesentium fraternitati tuae, benignitatis studiis invitati, direximus (9), quod videlicet tantum in sacrosanctis celebrandis mysteriis utendi licentiam imperavimus; concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum, exigente oportunitate, Domini praevenerunt misericordia, celebrare; ita ut Christi evangelium plurimorum adnuntiatione in omnibus gentibus, quae necdum conversae sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod sedis apostolicae humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate servare, intendens cuius rei similitudine tam praecipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis. Talemque te Domini implorata clementia exhibendum stude, ut indulti muneris praemia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi et venturi iudicis repraesentes.

Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater (10).

4. *Mirum sane est, quod v. cl. C. Plummer observavit (11), summum pontificem in prima epistulae parte plurali numero (vestra fraternitas, vestri, vobis cet.) Iustum alloqui, in posteriori autem singulari (fraternitati tuae, tibi tuis, cet.). Quod duobus posse explanari modis existimat vir doctissimus. Vel enim, dum in priore parte Romanum simul et Iustum compellat Bonifatius, in altera solum Iustum; vel librarii qui registrum exseripsit oscitantiae debetur quod binae epistulae male consutae fuerint, ita ut prior illa sit quam exhortatoriam dixerat Beda, Mellito et Iusto directa, altera soli Iusto (12). Nonnihil audaciae tali coniecturae subesse ipse insinuat*

AUCTORE
H. D.

Matth.
10, 22;
Rom. 8, 24.

Psalm.
18, 4.

F
minime
suspectae.

(1) *Hist. eccl.*, II, 5. — (2) *Hist. eccl.*, II, 6. — (3) *Hist. eccl.*, II, 7. Litteras anno 619 datas esse, vel eo anno Bonifatium (619-625) Petri cathedram ascendisse intellegi potest. PLUMMER, t. II, p. 90. — (4) *Hist. eccl.*, I, 23. — (5) PLUMMER, t. II, p. 90. — (6) *Al. fatigationum* vestrarum. — (7) *Al. expectatis.* — (8) Scilicet Eadaldi regis Cantiorum. PLUMMER, t. II, p. 92. — (9) Causas mittendi pallii alii alias protulerunt.

BROU, S. *Augustin*, p. 158, n. 2; W. E. COLLINS, *The Beginnings of English Christianity* (London, 1898), p. 187. Praestat ab incertis coniecturis nobis temperare. — (10) *Hist. eccl.*, II, 8. Litterarum Bonifatii p. partem ex ipso Beda exscribunt episcopi Britanniae in epistula ad Leonem p., anno, ut videtur, 805. HADDAN-STUBBS, *Councils and eccles. Documents*, t. III, p. 559. — (11) T. II, p. 92. — (12) *Hist. eccl.*, II, 7.

AUCTORE
H. D.

vir eruditissimus, nec forsitan immerito. Obstat enim litterarum inscriptio quae Iusto est, non « Mellito et Iusto » vel « Iusto et Romano ». Sed et superflua hac in re quaevis coniectura videtur, cum Bonifatio inusitatum non sit singulare cum plurali commiscere, ut cum in epistula ad Aedilbergam reginam nunc scribit vestra gloria, vestri confessio, dein tibi, ut explere valeas, tuarum adhortationum, et rursus vobis, per vos, vestri cel. (1). Nullam igitur de litteris Bonifatii a Beda allatis dubitationem consistere existimamus. Spuriae vero sunt eiusdem Bonifatii litterae ad Iustum quas cum aliis novem protulit Gulielmus Malmesburiensis (2). Omnium consensu genuinae sunt eae quas 28 aprilis anni 694 dabit Aedilberctus, rex Cantiae, quibus ecclesiae Rofensi terram concedit: Tibi, sancte Andrea, tuaeque ecclesiae quae est constituta in civitate

Aliae certo
spuriae.

Hrofibreui, ubi praesse videtur Iustus episcopus, trado aliquantum telluris mei. Hic est terminus mei doni cel. (3). Sunt et aliae ab eodem Aedilbercto anno 605 Augustino, anno 618 Eadbaldo datae, in quibus Iusti quoque Rofensis ecclesiae episcopi nomen occurrit (4). Incertae admodum fidei eas diiudicat v. cl. W. Stubbs (5). Nemo nunc est qui easdem recipiat.

Paulinus
a Iusto
ordinatur.

5. Praeter ea quae diximus, paucissima de gestis S. Iusti ad nos usque perlata sunt. Die 21 iulii an. 625 Paulinum ordinavit episcopum (6). Eodem fere tempore Hrofensis ecclesia pastorem minime habebat, eo quod Romanus praesul illius ad Honorium papam a Iusto archiepiscopo legatarius missus absortus fuerat fluctibus Italicis maris; ac per hoc curam illius praefatus Paulinus invitatione Honorii antistitis et Eadbaldi regis suscepit ac tenuit usque dum et ipse suo tempore ad caelestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit (7). Honorius autem ad Romanam sedem evectus est mense novembri anni

S. Iusti
obitus et
sepultura.

625. Mox alter Honorius successit Iusto: Haec inter Iustus archiepiscopus ad caelestia regna sublevatus quarto iduum novembri die, et Honorius pro illo est in praesulatum electus (8). Annum reticet Beda, 627 exprimit Chronici Saxonici codex E, cuius testimonio nulla certa ratio opponitur (9). Sepultus autem est S. Iustus in ecclesiae beatorum Apostolorum Petri et Pauli Cantuariensis porticu aquilonali (10). Epitaphium, quod refert Thomas Elmham, certe non ante saec. XI sancti sepulchro inscriptum fuit.

Epitaphium Iusti.

Istud habet bustum meritis et nomine Iustum,

Quarto iure datus cui cessit pontificatus.

Pro meritis Iusti sancta gravitate venusti
Gratia divinam divina dat hic medicinam (11).

6. Vitam S. Iusti saeculo XI conscripsit Goscelinus Tarvannensis, monachus Sithiensis deinde Ramseyensis et tandem Cantuariensis, multorum librorum maxime hagiographicorum compilator (12). Bedam sedulo exscripsit, dilatavit, contraxit, pauca addens ex epistula S. Gregorii ad Eulogium (13) de miraculis Augustini et eorum qui cum eo missi sunt; cum enim Iustus inter praecipuos sit qui cum Augustino vel ad ipsum missi erant, ipsum quoque miraculis clarum fuisse existimat. Iam vero bonum virum fugit S. Gregorii litteras anno 598 datas esse, Iustum vero non nisi post triennium in Britanniam advenisse. Translationem reliquiarum S. Iusti et ceterorum patrum paucis in fine libelli perstringit. Hic ergo non ante septembrem anni 1091 scriptus est (14).

Vitae
eiusdem
a. Goscelino

Tribus in codicibus Vitam S. Iusti nacti sumus. codices.

1=Codex Musei Britannici Cottonianus Vesp. B. XX, membraneus, foliorum 288, 0^m.245 × 0.155, lineis plenis variis manibus saec. XII exaratus. Totus fere est de sanctis Angliae, maxime de episcopis Cantuariensibus. Fol. 214-217: De S. Iusto archiepiscopo = BHL. 4601.

2=Codex Musei Britannici Harley 652, membraneus, foliorum 4 + 216, 0^m.34 × 0.24, binis columnis saec. XII exaratus. Liber est homiliarum per anni cursum, cui subiectae sunt lectiones de sanctis Angliae. Fol. 213-214: De S. Iusto archiepiscopo, seu Vita BHL. 4601, in lectiones octo divisa, omnia brevi paraenisi qua in ceteris codicibus clauditur.

3=Codex Musei Britannici Harley 105, membraneus, foliorum 205, 0^m.275 × 0.20, lineis plenis saec. XII exaratus. Totus de sanctis Angliae. Fol. 244-246: De S. Iusto archiepiscopo = BHL. 4601. Libellum, multis recisis, Legendae suae inseruit Capgravius, seu potius Iohannes Tinemuthensis (15). Notatu dignum est litteras Bonifatii p. ad Iustum a Goscelino brevitas textu pleniore a Iohanne referri. Ceterum nihil est in hac epitome, nec etiam in illa quae Legendae Aureae Coloniensi annexa est (16), quod post Goscelinum legi mereatur.

7. Est et in codice Lambethano 159, chartaceo, foliorum 279, 0^m.285 × 0.205, lineis plenis saec. XVI exarato (17), inter Vitae archiepiscoporum Cantuariensium carmine elegiaco concinnatas, fol. 226, brevis S. Iusti Vita, viginti duobus versiculis claudicantibus comprehensa, quam utpote ineditam, Goscelino subiungimus, etsi nulla afferat quae notissima non sint. Quod autem S. Iustum tribus annis sedisse asserat anonymus scriptor, id ex Gulielmo Malmesburiensi accepisse videtur (18). Iis autem quae tum Gulielmus ille (19) tum Gervasius Cantuariensis (20)

E

F
Carmen.

(1) *Hist. eccl.*, II, 11. — (2) *Gesta pontificum*, I; HADDAN-STUBBS, *Councils*, t. III, p. 73, cf. p. 65-66, qui eas veluti dubias proferunt. Merito reiciunt PLUMMER, t. II, p. 92 et H. BOEHMER, *Die Fälschungen Erzbischof Lanfranks von Canterbury* (Leipzig, 1902), p. 47-52. — (3) KEMBLE, *Codex diplomaticus aevi Saxonici*, n. 1. — (4) KEMBLE, nn. 4, 5, 6. — (5) *Dictionary of Christian Biography*, t. c., p. 593. — (6) *Hist. eccl.*, II, 9. De S. Paulino, *Act. SS.*, Oct. t. V, p. 102-114. — (7) *Hist. eccl.*, II, 20. — (8) *Hist. eccl.*, II, 18. — (9) HADDAN-STUBBS, *Councils*, t. III, p. 73; PLUMMER, op. c., t. II, p. 110. —

(10) *Hist. eccl.*, II, 3. — (11) *Historia monasterii S. Augustini Cantuariensis*, V, 17, HARDWICK, p. 170. — (12) De eo lege *Histoire littéraire de la France*, t. VIII, p. 660-77; *Dictionary of National Biography*, t. XXII, p. 253-54. Opera eius hagiographica recenset BHL. Supplementi edit. altera, p. 335. — (13) *Reg. VIII*, 29, HARTMANN, t. II, p. 30. — (14) *Act. SS.*, Maii t. VI, p. 415. — (15) BHL. 4602. — (16) BHL. 4603. — (17) « Liber d. Iacobi Hartey monachi ecclesie Christi Cant. » — (18) *Gesta Pontificum*, I, HAMILTON, p. 6. — (19) *Ibid.*, II, 1, p. 140-41. — (20) *Actus pontificum*, STUBBS, t. II, p. 332.

tum

A tum etiam Thomas ab Elmham (1) de Iusto scripserunt nihil immorabimur, quoniam in Bedam tandem aliquando refundunt, etiam errore admixto, ut cum a Thoma significatur Iustum in condendo Sancto Petro Westmonasteriensi partem habuisse.

Translatio
reliquiarum.

8. Die 13 septembris anni 1091, cum ob novam fabricam vetus ecclesia cathedralis Cantuariensis diruenda esset, e loco ubi hactenus iacuerant remota sunt corpora sanctorum episcoporum Iusti, Honorii ac Deusdedit. Huius translationis, cui ipse testis interfuit, historiam conscripsit Goscelinus in libris de Translatione S. Augustini (2), quos ad diem 26 maii iam dedimus (3). Rem etiam obiter tetigerunt nostri ad diem 15 iulii, ubi de S. Deusdedit (4), fusius ad diem 30 septembris, ubi de S. Honorio (5). Recens autem locus quo primum depositus fuerat S. Iustus detectus est cum eiusdem feretri forma calci impressa (6). Sanctorum omnium quos cum Augustino una hebdomada Wido abbas alium in locum transtulit B anniversariam diem celebrari decima tertia sep-

tembris habemus ex calendariis et martyrologiis (7). In Consuetudinibus monasterii S. Augustini Cantuariensis translatio S. Augustini festum saepius dicitur (8), sed et translatio S. Augustini Anglorum apostoli sociorumque eius scilicet XI confessorum monachorum (9). Cantuarie S. Iusti depositio celebrabatur ritu duplici (10) die novembris nona, qua obiit, uti testantur calendaria anglicana. In vetustissimo missali hibernico, quod Stowense nuncupare solent, inter multa nomina diptychis seu canoni inserta habentur (11):

laurenti	dagani
melleti	cel.
iusti	
aedo	

Daganus ille est episcopus Scolus de quo in epistula Laurentii, Melliti et Iusti mentio est (12), videturque secum traxisse episcopos Britannos qui eandem inscripserunt (13).

AUCTORE
H. D.
Memoria
in fastis.

E

(1) *Historia monasterii S. Augustini Cantuariensis*, HARDWICK, p. 271-72. — (2) *BHL*, 781, n. 21, 25. — (3) *Act. SS.*, Maii t. VI, pp. 417, 419. — (4) *Act. SS.*, Iul. t. IV, p. 49. — (5) *Act. SS.*, Sept. t. VIII, p. 699. — (6) W. St. JOHN HOPE, *Recent Discoveries in the Abbey Church of St. Austin at Canterbury*, London, 1916. Cf. *Anal. Boll.*, t. XLII, p. 207. — (7) Unum adducimus Altaempsianum. SOLLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 532. — (8) E. M. THOMPSON, *Custo-*

mary of the Benedictine Monasteries of St. Augustin, Canterbury and St. Peter, Westminster, t. I (London, 1902), pp. 196, 377; t. II, pp. 233, 261. — (9) *Ibid.*, t. I, p. 432; cf. t. II, pp. 282, 290, 311, 314. — (10) *Ibid.*, t. II, pp. 287, 312. — (11) G. F. WARNER, *The Stowe Missal*, t. II (London, 1915), p. 16. — (12) *BEDAE Hist. eccl.*, II, 4; supra, num. 1, p. 532. — (13) WARNER, t. c., p. XXVIII.

I. VITA S. IUSTI A. GOSCELINO MONACHO

E codicibus Musei Britannici Cottoniano Vespas. B. XX (= 1), Harleiano 652 (= 2), Harleiano 105 (= 3). Cf. *Comm. praev. num. 6*.

De sancto Iusto archiepiscopo.

Iustus
Roma in
Angliam
missus.

1. Ordinatus vir Domini Augustinus in apostolatam Angliae ab archiepiscopo Arelatis Etherio reversusque Britanniam, misit continuo Romam sacratissimos Laurentium presbiterum et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio regem et gentem Anglorum fidem Christi suscepisse ac se episcopum factum esse referrent, simul et de eis quae necessaria videbantur quaestionibus eius consulta flagitans. Nec mora, congrua questionibus responsa recepit (1). Maxime autem suggerenti¹ Augustino multam quidem sibi esse messem sed operarios paucos, sanctissimus papa addit orare dominum messis ut consilium suum dirigat, quos idoneos operarios in messem suam mittat. Igitur aspirante superna providentia, destinantur cum praenominatis legatis eximii virtutum viri Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus (2), ceu quatuor evangeliorum praecones.

Hos comitatur non rudis turba evangelicorum ministrorum et cooperatorum qui terribili acie F diripiunt castra daemonum.

2. Igitur beatus Augustinus ordinavit episcopos Mellitum Lundoniae, Iustum Rophensi² ecclesiae. Nam Lundoniae rex Athelbertus, ubi Sæbertus³ nepos suus sub eo regnabat, ecclesiam beati Pauli, Rophi vero ecclesiam beati Andreae apostoli condidit, qui etiam episcopis utriusque ecclesiae dona multa sicut et Dorovernensis optulit, et territoria ac possessiones adiecit (3). Verum ut diabolo temptandi locus pateret, et sanctis corona victoriae cresceret, beato Augustino et regibus christianissimis Athelberto et⁴ Sæberto⁴ ad caelestia regna assumptis, Athelberti filius Eadaldus et tres Sæberti filii a paterna pietate apostatantes, idolatriae cum suis populis dedere manus. Expulsus Lundonia Mellitus venit Cantiam ad beatum Laurentium et Iustum; placuit in commune ut po-

Rofensi
ecclesiae
praeficitur.

Ab exilio

1. —¹ corr., prius suggerente 2.

2. —¹ Rofensi 2 et deinceps. —² Sæberto

3, et deinceps. —² BEDA, de codd. —⁴ Soeberto corr., prius Saberto 2, et deinceps.

(1) *BEDAE Hist. eccl.*, I, 24, *Comm. praev. num. 1*. — (2) *H.E.*, I, 29, *ibid.* — (3) *H.E.*, II,

3, *ibid.*; PLUMMER, *op. c.*, t. I, p. 85.

-tius

VITA
 tius ardentem Sodomam fugerent, quam nec sibi nec rebellum saluti⁵ proficerent. O sanctorum martyria qualium plerumque graviora sunt in mente quam forent in carne vulnera. Quanto dolore reliquere quorum salutem tanto tamque longinquo labore quaesire quantoque libentius pro his occumberent quam reliquissent, si quem profectum in his sperassent (1).

revocatus, 3. Christi itaque exules Mellitum et Iustum pro iustitia persecutionem passos beatus Laurentius secuturus in ecclesia principum apostolorum et requietionis beati Augustini noctem lamentis gemitibusque¹ perpetuat, orans ne ecclesiam suam pastor aeternum deserat. Qui beati Petri apostoli² sede edoctus oves commissas non relinquere, regi Eadbaldo plagas suas ostentat. Ille nimium territus idola prophanat, Christo se mancipat, Mellitum et Iustum ad sedes suas revocat (2). Sacratissimo autem Laurentio in superna gaudia suscepto Mellitus succedit tercius a primicerio Augustino. Cui post quinquennium siderea³ via Laurentium prosecuto (3), Iustus, nomine suo dignus iustitia et gratia plena, ab ipso patriarcha Augustino subrogatur quartus, ut cui missus est in auxilium et quem sibi ordinaverat suffraganeum, nunc habeat suae dignitatis hereditarium filium. Priori autem ecclesiae suae Rophensi Romanum pro se consecravat episcopum, data sibi ordinandi episcopos auctoritate a pontifice Bonifacio. Cui etiam ipse pallium direxit cum litteris commendaticis in quibus eum hortatur qualiter se inter suos habere debuerit (4). Hic suscepto pallio ab eodem pontifice Romano ordinavit⁴ sanctum consortem suum secum a beato Gregorio missum Paulinum, genti Northamhimbriorum episcopum. Quem ordinatum misit cum Aethelburga virgine sorore regis Eadaldi ad regem Eaduinum, sed et ipse potius toto animo intendebat gentem quam adibat ad agnitionem veritatis advocare (5).

episcopatium Cantuariensem suscipit.

4. Iustissimus vero Iustus studebat totis nisibus magnificare Dominum in sanctis suis mirabilem et <per> ipsos semper triumphantem, qui post tenebras lucem, de timore fiduciam, de tribulatione dat laetitiam. Nam quis crederet Angliam per idolatras et execrabiles reges ad vomitum suum reversam, et susceptam Christi fidem detestatam suoque languore delectatam, iam ullam posse recipere¹ medelam, cum suos curatores non solum abhorrerent sed et a finibus suis exterminarent². Verum in tanta infidelitatis tempestate ac naufragio, Christus sanctorum precibus excitatus imperat ventis et fluctibus, et insperabilis tranquillitas redit quantotius. Nec solum in³ pontificatum quo eiecti sunt revocantur, verum etiam summo apici ierarchiae inthronizantur. Hoc Mellitus in se divinum beneficium erubuit. Hoc Iustus in se factum post tot avia discrimina gravissime⁴ obstupuit. Tum vero cur a Roma advenisset, cur a Gallis huc redisset,

Psalm. 67, 36.
 Post tribulationem laetitiam.

Matth. 8, 26.

cur tandem omnibus praeluceret, altiori spiritu D
 perpendit et ne in vacuum cucurrisset sed omnibus prodesset, ut omnium debitor elaboravit. Hinc alas sanctae caritatis ad omnes expandit, ad omnes evolavit prece, increpatione, promissione gloriae, terrore gehennae, visceribus caritatis parturiens filios adoptionis, innumerabiles ad Christum convertit. Hic vero quos de apostasia reduxerat, amabiliter dicebat: « Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. »

Galat. 4, 19.

5. Non parvae sanctitatis testimonium aestimandum est inter alia praeconia quod sacratissimus papa Bonifacius a praecipuo Gregorio quartus beatum Iustum apostolicis litteris collaudat eiusque meritis ac caelorum praemiis gentium conversionem¹ ascribat. Quod ipsa epistola partim annotata gratius clarebit (6).

Litterae Bonifacii p. V.

6. « Dilectissimo fratri Iusto Bonifacius. Quam devote quamque etiam vigilanter pro Christi evangelio elaboraverit vestra fraternitas, non solum epistolae directae a vobis tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicavit. Nec enim omnipotens Deus aut sui nominis sacramentum aut vestri fructum laboris deseruit, dum ipse praedicatoribus evangelii fideliter repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Quod specialiter iniuncto vobis ministerio eius clementia demonstravit, aperiens corda gentium ad suscipiendum praedicationis vestrae singulare mysterium. Magno enim praemio fastigiorum vestrorum delectabilem cursum bonitatis suae suffragiis illustravit dum creditorum vobis talentorum fidelissimae negotiationis officis uberem fructum impendens ei quod signare possitis multiplicatis generibus praeparavit. Hocque etiam illa vobis recompensatione¹ collatum est, qui iniuncto ministerio ingiter persistentes laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis, et vestris ut proficerent meritis eorum est² salvatio propinata, dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Salvati ergo estis spe patientiae et tolerantiae virtute ut infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata sui consequerentur misericordiam salvatoris. Susceptis nanque apicibus filii nostri Eadaldi³ regis, repperimus quanta sacri eloquii eruditione eius longanimitate⁴ animum ad verae conversionis et indubitatae fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiae caelestis certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem immo quoque vicinarum vestrae praedicationis ministerio credimus subsequendam quatinus, sicut scriptum est, consummati operis vobis merces a retributore omnium bonorum domino retribuat et vere per omnem terram exisse sonum eorum et in fines orbis terrae verba eorum universalis gentium

Matth. 28, 20.

Matth. 10, 22.

Rom. 8, 24.

Psalm. 18, 4.

⁵ rebellibus salutis (saluti 3) *codd.*

3. —¹ que *sup. lin. prima manu* 2. —² om. 2.

—³ prius sidere 2. —⁴ prius ordinavit 3.

4. —¹ recipere posse 2. —² exterminarentur

1, 2. —³ *add. supra lin.* 2. —⁴ gratissime 3.

5. —¹ ... *sonem in ras.* 3.

6. ¹ repensatione 2. —² om. 3. —³ Adulualdi, Adulualdi BEDA. —⁴ om. BEDA.

(1) H.E., II, 5, Comm. praev. num. 2. — (2) H.E., II, 7, *ibid.* — (3) *Ibid.* — (4) H.E., II,

8, Comm. praev. num. 3. — (5) H.E., II, 9. — (6) H.E., II, 8, Comm. praev. num. 3.

confessio

A confessio suscepto christianae sacramento fidei protestetur. Pallium praeterea per latorem praesentium fraternitati tuae benignitatis studiis invitati direximus, quod videlicet tantum in sacrosanctis celebrandis mysteriis utendi licentiam imperavimus; concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum exigente oportunitate Domini praevenerunt misericordia celebrare, ita ut Christi evangelium plurimorum annuntiatione in omnibus gentibus quae necdum conversae sunt dilatetur. (1)

S. Iusti
praeclara
merita.

7. Ex his et ceteris quae eadem epistola prosequitur beatissimi papae testimoniis magnifice pensandum est quanti meriti quantaque sanctitatis hunc beatissimum Iustum tam sanctus et iustus ecclesiarum apex aestimaverit quod tam devote tamque vigilanter pro Christi evangelio elaboraverit, quod magno praemio supernorum fastigiorum delectabilem cursum eius dominus illustraverit, dum creditorum sibi talentorum fidelissimae negotiationis officiis uberem fructum multipliciter sibi praeparaverit, quod meritis suae laudabilis patientiae et usque in finem perseverantiae gentis huius salvatio propinata sit, quod pro iustitia exilium passus sit et regem persecutorem ad indubitatae fidei credulitatem sua eruditione et longanimitate perduxerit. Quem post multos agones et multa cum feris gentibus certamina venerabilis hystorographus Anglorum Beda triumphatum mittit ad

caelestia. « Beatus ¹, » inquit, « Iustus archiepiscopus ad caelestia regna sublatus est quarto iduum novembrium die, » positumque est corpus eius in monasterio apostolorum Petri et Pauli (2). Sed inter haec si quis quaerat signa quibus huius sancti declarentur merita, audiat irrefragabilia summi Gregorii testimonia ad sanctum patriarcham Eulogium scripta (3). « Tantis, » inquit, « miraculis vel ipse Augustinus vel ii qui cum eo missi sunt in gente anglica choruscant ut apostolorum virtutes in signis quae exhibent imitari videantur. » Inter praecipuos ergo qui cum ipso vel ad ipsum beatum Augustinum missi sunt constat beatum Iustum fuisse praeclearum, quem sicut meritis ita miraculis credimus choruscum (4). Nec illud decet silentio dissimulare, quod in proxima ipsius sicut et ceterorum patrum translatione aperto eius sarcophago mira omnes astantes repleti sunt fragrantiae suavitate. Verumtamen ubi est apostolica vita, nil perdunt merita, etsi desint apostolica signa ².

VITA

8. Huius beatissimi sancti vitam, iustitiam, aequitatem et mansuetudinem totis viribus imitemur, prava et illicita opera vitemus, ut suis meritis omni ¹ peccati macula a nobis eradicata, percipere cum eo mereamur aeternae vitae praemia, ipso auxiliante qui cum Deo patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Adhortatio.

7. — ¹ om. BEDA. — ² hic des. 2.

8. — ¹ omnis 1, 3.

(1) Lege quae dicta sunt in Comm. praev. num. 6, ad cod. 3. — (2) *H. E.*, II, 18; II, 3. Comm. praev. num. 5. — (3) *Reg.* VIII, 29, HARTMANN,

t. II, p. 30. — (4) Quando litterae Gregorii datae fuerunt, Iustus in Britanniam nondum advenerat. Comm. praev. num. 6.

II. DE S. IUSTO CARMEN

E codice Lambethano 159. Cf. Comm. praev. num. 7.

C

F

Sanctus Iustus quartus archiepiscopus ¹.

Nomine ² re Iustus Mellito protinus illi
succedit dignus presul honore pari.
Iste Rofensis erat presul, sed ovile tueri
assiduus pastor sparsit ubique fidem.
Nomine Romanum quemdam dedit ipse Ro-
[fensi
ecclesie, cuius dogmata sacra nitent;
nec non Paulinum commiserat Eboracensi
Edwinus rex a quoque renatus erat.
Hic nam ³ Paulinus pater ungitur a patre
[Iusto ⁴,
ecclesia Christi tempore sub Domini
anno sexcentesimo supra vicesimo quoque
[sexto

cum fuit predicta fine potita suo.
Hic rex Edwynus Westsaxonibus dominatur ⁵,
tuncque ⁶ regens coluit ydola gensque sua.
Edbaldi soror est Edwyno tunc copulata ⁷,
cum qua Paulinus transit eamque regit.
Rex est conversus fidei per sacra lavaera ⁸
per te, Pauline, presul opime Dei.
Iste pater Iustus tamen sedit tribus annis ⁹;
evectus Christo nunc micat arce poli.
Iuste, tuis meritis nostros extingue reatus
atque tuis famulis pande salutis opem.
Amen ¹⁰.

¹ Lemma in margine. — ² et add. dein del. cod. — ³ supra lin. — ⁴ sanctus Paulinus episcopus ungitur a sancto Iusto archiepiscopo in marg. — ⁵ Edwynus rex dominatur Westsaxonibus in marg. — ⁶ tunc estque cod. — ⁷ nota bene in marg.

— ⁸ rex Edwynus conversus ad fidem per Paulinum episcopum in marg. — ⁹ sanctus Iustus sedit annis tribus, sepelitur cum patribus suis in marg. — ¹⁰ finis vite sancti Iusti Cant. archiepiscopi quarti add. cod.